

N. 101, 14. (X2049399)



AN & CUR
HODIE QVAM OLIM
MORIBUS CORRUPTIORIBUS
VIVATUR

ORATIO

M. JUSTI GOTOFREDI
RABENERI GYMN.

RECTORIS

IN DEDICATIONE
RENOVATI AUDITORII
HABITA

ANNO M DC LXXXV. MENSE JANUARIO.

FREIBERGÆ
Sumptibus ZACHARIÆ BECKERI.

VIRO
IN QVANTVM VIRTVS
ET EXCELLENS
MEDICÆ REI PERITIA
INTELLIGI POTES
NOBILISSIMO
DN. D. JOHANNI
CHRISTOPHORO STRAUSSIO
AMICO OPTIMO MAXIMO
SOSTRI LOCO
OFFERT
QVI VITAM ILLI ET VALEFUDI-
NEM POST DEVM
DEBET



AUTOR.

invisa
ere or
ficere
agros
herba
autem
bant,
grede
tiæ g
Jüven
& qua
dem
nes su
Nunc
hes, r



Jesu juva!

Sæpe numero multorum
senum querelis interfui ac-
cusantium, nō sine tristi re-
cordatione præteriti tem-
poris, effœtam infelicitata-
tem seculi nostri, in quod
invisam vivacitatem propagassent. Ru-
ere omnia in pejus & ipsam naturam de-
ficere: Elementorum vim extinguere,
agros quondam fœcundos sterilescere,
herbarum vires hebetari. Imprimis
autem morum corruptelam deplora-
bant, qui jam non haberent, quo pro-
grederentur amplius summum neqvi-
tiæ gradum paucis antè annis adepti.
Juventutis suæ tempora fuisse feliciora,
& quædam ex aureo seculo ramenta fi-
dem originis servasse. Vixisse homi-
nes summa concordia, candore, pietate.
Nunc autem fraudes, dolos, deceptio-
nes, rixas, dissidia, & quicquid in pejus

notabile est passim vigere. Refrixisse omnem fere religionis amorem, nec quenquam esse, qui quidem volens & sponte sua vel teruncium ad templorum subsidia atque ornamenta Scholarum impendere velit. Atavos autem nostros, Deus bone, quam magnificas aedes extruxisse honori falsorum Numinum, quibus nisi jam ad sacra nostra uteremur, sub divo operandum esse. Ipsum hoc est regione templum quod D. Virgini dedicatum, ex eleemosynis in hanc majestatem surrexisse, quarum summa septuaginta duobus millibus florenorum fuerit aestimata, idque eo tempore, quo rerum esculentarum & potulentarum annonae exstiterit vilissima. Scholas autem plane negligi, deformesque ruinas inter obsoletas sordes vix fulcris passim admotis differri. Male & anguste habitare bonarum Literarum Professores, & tantum non ipsa aedificia probrum suo seculo ingerere.

Enimvero Chrono & Titanibus antiquiores sunt haec querelae, nec ullam seculum tam felix, quod non comparatione prioris sorduerit illis, quibus ex annorum suorum morbo morositas, & rerum
omni-

omnium fastidia subnascuntur. Etiam
tritavi nostris abavis hanc dicam scripse-
re, & pronepotib⁹ abnepotes degenerare
videbantur. Mihi quidem dubium non
est, quin ex eodem argumento antedi-
luvianis etiam Patribus posteris sui di-
splicuerint, & ab his ipsis in nostra usq;
tempora propagata sit pertinax hæc
jurgiorum materia. Postquam enim
semel Protoplasti impulsu illius scele-
rum artificis, vitiorum institoris à DEO
secessere, non gradu, non cursu, sed præ-
cipitio à virtute descitum. Provocarem
ad illam omnis experientiae Magistram
Historiam, nisi sufficeret divinum istud
oraculum Mosis: Figmentum cordis
humani tantum pronum est ad malum,
ab adolescentia omni tempore. Quid
igitur attinet mundum sub imagine
hominis proponere, ejusdemq; inno-
centem, si Diis placet, pueritiam, vivi-
dam adolescentiam, juventutis robur,
prudentiam virilis ætatis, senii autem
feces nobis oggerere? Quasi verò non
jam dudum, & antiquissimis etiam tem-
poribus malitia hominum mundi sup-
pleverit ætatem: Scelera jam vigent:
Viguere & olim. Beilageruntur: Gesta

& ante nos, & crudelius gesta. Adul-
teria frequentantur: Et olim impuni-
ta fuere. Perit candor, fides & illa Ger-
manicæ gentis antiqva sinceritas. No-
vum crimen, C. Cæsar, & ante hac inau-
ditum! Imò audiamus veterem Poëtam,
qvi jam ante aliquam multa secula de hac
calamitate ita qviritatur:

*Annis mille jam peractis
Nulla fides est in pactis
Melin ore, fraus in corde.*

Et quid Jeremias divinus tmemate no-
no deploret, norunt qvi illius oracula
norunt. In nunc & nostro seculo, nostris
hominibus hanc scabiem affrica. Si ve-
rò singulis seculis vitia crescunt, miror,
quod non jamdudum ad summum im-
pietatis, scelerum, bestialitatis perven-
tum fuerit. Aut dicant illi mihi, quot
gradibus ad istud neqvam fastigium a-
scendatur, quamdiu usq; ad ultima e-
xempla scelerum & neqvitiæ veniatur.
In aliis certè rebus mundi decrepita ætas
nos deliros non facit. Namq; & bella
hodie geruntur melius & minore homi-
num strage; artes ad summum nitorem
per-

hil concedimus antiqvis. Civilis autem
prudentiæ quàm illustria exempla Gal-
liæ nostris temporibus dederunt! Ha-
buerint illi purpurā, byssum, amphithe-
atra. Sed non minor inventorum no-
strorum gloria, & si commodum spectes,
majoribus laudibus ferenda. Si autem
gratiam quoq; ab adversæ sententiæ pro-
pugnatoribus inire vellem, pro concili-
andis veterum, illorumq; querelis dice-
rem instar pestis serpere vitiorum con-
tagionem, & nunc has, nunc illas mundi
partes corripere. Itaq; quo tempore
Asia luxu effœminata diffluebat, Romæ
mascula virtus, fides, integritas in pretio
erant. Testatur lib. Maccabæorum
primus cap. 7. Postquam autem & hinc
Asiaticæ deliciæ post bellum Antiochi-
cum virtutem in exilium pepulere, in
Germaniam nostram illa habitatum con-
cessit, quorum candidissimi mores non
Tacito modò laudantur; sed & hodie
exteri principatum hujus laudis nobis
non inviti concedunt. Hæc autem si in
multis nostratium locum non invenit, si
mores commercio peregrinarum Gen-
tium in peregrinitatem, ut Svetonii ver-

non imputanda. Cur enim Gallia tantopere etiam cum detrimento animorum placet? Non enim inficias ivero, rariora hodie virtutum exempla esse, eorum numerum indies decrefcere. Istud quippe si negarem, non experientiae modo sed ipsi Salvatori ingenti piaculo contradicerem, cuius Sanctissimum os verissime praedixit, fore inclinantibus ad interitum rebus humanis corruptissimum aevi statum, idque non seculi vitio, sed ob intermorientem pigro quodam gelu in cordibus hominum caritatem. De causis autem illarum corruptionum varia varii afferunt. Nonnulli & aperte Scholas accusant. Collapsam hinc esse disciplinam. Olim grandi aetate & bene barbato discipulos melius paruisse, modestius egisse: Nunc autem glabros istos pipiones terocire intolerabili quadam parendi dedignatione. Ex hoc fonte his venenis infecto fluere virus in totam rempublicam. Haec cum ita se habeant, mearum partium esse duxi, Scholarum hac occasione patrocinium in me suscipere, & unde morum corruptela apud Germanos hoc

aero

Quod
dum pro virium modulo facio, Vos o
Auditores, oro atq; obtestor, ut me o-
rantem attentè audire, & si non omnia,
acu tetigero, memores imbecillitatis hu-
manæ nævos in meliorem partem velitis
interpretari.

Ut verò primùm amoliar crimen istud
neglectæ religionis, utraq; manu largi-
or, nostros homines eadē liberalitate, quā
maiores in ornandis tuendisq; sacris non
uti. Videmus enim, & cum dolore vi-
demus templa passim verustate colla-
bi, & inter deformia fulcra hiscere rimas
parietum publicorum. Vultum ducere
ædiles, quoties facta saltem & tecta sunt
servanda ædificia popularibus sacris de-
stinata. Stipem quoq; huic rei malignè
& vix unciatim conferri non negamus.
Verùm qui hoc modo nos accusant illi
ferè sunt, qui intra parietes domesticos
ita delituère, ut, quid alibi fiat, aut nesci-
ant, aut scire nolint. His ego cochleis
autor sim in vicinam saltem Bohemiam,
Austriam, Bavariam se conferant, si Itali
atq; Hispani forte remotiores videbun-
tur, & templorum magnificentiam, ni-
torem & pene fastum intueantur. De

nostris vero, in regem, iam nobis re-
mo fuit. Ergo non seculi sed religionis
istud vitium fuerit. Id quidem magno
mercentur Pontificii, qui affirmare non
verentur, ex quo Lutherani necessitatē
bonorum operum ad salutem negare,
cœperimus, refrixisse hominum studia
& magnificentiam; contemni sacrum or-
dinem, negligi ædes, calcari religionem,
fiscum sacrilegas manus iniicere, & e-
repto deniq; vitæ æternæ præmio, quod
ipsi suis integrum fervent, langvescere,
antiquum illum fervorem promovendæ
pietatis. Et movit, fateor, hæc calu-
mnia religionis non neminem quoq; ex
nostris primi commatis Theologum,
ut saltem dicis gratia necessitatem bono-
rum operum inculcandam svaderet.
Quasi verò teruncii spe talenti summa,
prudenter permutetur. Hæc autem uti
ad sublimiores cathedras ita adversarios
Lipsiam, Dantiscum, Hamburgum &
paulo lautiores remitto urbes, ubi tem-
plorum splendor invidos illorum oculos
pene tabe conficere poterit. Et quid
longinqva confector? Mirantur alta-
ria nostra ex solido argento candela-
bra, & ex doni amplitudine auctoris non
mo-

mod
men
Non
est, c
stra
rum
tem
van
long
exe
fici
stuc
obt
def
etia
vel
ria
no
iff
ra
ne
ut
fa
te
et
d
r

modo magnificentiam, sed terne no-
men deprehendit non fallax conjectura.
Non religionis, non animorum culpa
est, collabi oratoria nostra. Sunt & no-
stra ætate, qui munifica quædam sacro-
rum curâ inflammati prolixè favent, qui
templa Scholæque re, consilio, opera ju-
vant. Cui rei probandæ non opus est
longinqua aut antiqua peregrè arcessere
exempla. Nostra nobis Freiberga suf-
ficat: Nostri homines maledicentiæ i-
stud impudens os quovis freno efficacius
obturant. Testor tot testamenta piè
defunctorum, quorum liberalitas suis
etiam autoribus superstes ex immortalibus
velut sinu beneficia effundit anniver-
saria. Imò hoc ipsum Auditorium an-
non videtur fordidas exuvias deposu-
isse, senium exuisse, juventutem recupe-
rasse? Splendent parietes, largo lumi-
ne refulgent fenestræ latius effossæ, nec
ut ante visus coacto oculorum obtutu
fatigatur. Tabulæ cum scamnis ni-
tent, superbit penè cathedra adeò, ut
etiam suus infessor, suus orator illam
dedeceat, & hæc omnia impensis quo-
rundam Patronorum privatis, sine
sum-

sumptu Fisci Ecclesiastici publico. Eat
nunc aliquis morosus, & animos hodie-
norum hominum angustos liberalitatis
legem non admittere queratur, pietatis
excludere. Imò nostra culpa factum,
quod sordidus huc usq; Musarum no-
strarum nidus nauseam ferme movit,
intuentibus.

Nemo Scholæ causam egit, nemo pa-
trocinium suscepit. Quamprimum
autem Deus mihi hanc mentem immi-
sit, circumire, rogare, explorare Mecæ-
natum voluntatem, deprecari pro lusca
nutrice, dici vix potest, quâ alacritate,
studio, promptitudine assensi sint omnes.
Sed hæc res mihi ultimam partem ora-
tionis meæ conficiet. Utinam verò illi
qui propiore familiaritate connectun-
tur cum ditibus, cum orbis, cum muni-
ficis, (quorum mors liberalis nescio quos
locupletes faciet) qui morituris assident,
qui testamentis intersunt, nostri, aut sal-
tem fisci Ecclesiastici aliquam rationem
haberent. Dubium nullum esset, quin
& Scholæ nomina in ultimâ cerâ lege-
rentur. Nunc esuries nostra ab aliena
saturitate suspenditur. Nihil hîc pri-
va-

vatin
felix
beat
berit
si au
non
junc
font
tore
publ
dux
caus
dit.
tus
nim
alia
scilio
mul
rum
go t
cum
inv
me
mit
ta i
maj
pat

Eat
dier-
tatis
tatis
m,
no-
vit,
pa-
m,
mi-
cæ-
isca
e,
nes.
ora-
illi
un-
ni-
vos
ent,
fal-
em
vin
ge-
a
ori-
va-

vatim mihi peto, homo satis dives, sat
felix, imò, quod bona hora audiat, satis
beatus. Publici a. ærarii rationem ha-
beri aliquam velim, cujus scaturigines
si aut obstruantur, aut exareant, nemo
non videt, id cum nostra fame esse con-
junctum. Quid rivuli enim facient, si
fontes sitiant? Ignoscite, autem, Audi-
tores, si me transvorsim abstulit amor,
publicæ rei, & aliorum orationem trans-
duxit. Intra stadium redeundum &
causæ explicandæ, quarum culpa acci-
dit, ut minor hodie ratio habeatur cul-
tus divini. Postquam enim hanc ab a-
nimis hominum satis removisse videor,
alia scilicet indicanda. Non voluntas
scilicet deest, sed facultas. Prolixius
multi faverent, nisi domesticarum re-
rum angustia prohiberentur. Hic si e-
go tributorum gravitatem, & tot onera
cum annis crescentia commemorarem,
invidiam forte mihi facerem & alienæ
messi temerariam talcem periculose im-
mitterem, rebus publicis arbitria priva-
ta interponerem. Sed est aliud longè
majus malum, quod opes nostras affligit,
patrimonia evertit. Postquam enim
jam

jam ab Augusti Electoris verè augusti
ætate impositis vectigalibus initiò mo-
deratis pretia rerum esculentarum &
potulentarum crevere, ultra alterum,
quod Icti dicunt, tantum castigare ea
res luxuriam nostram debuisset, & ad
parsimoniam leges reducere. Tantum
verò abest, ut refrenata sit his rebus vo-
randi perpotandiq; libido, ut creverit
potius, & desperata contumacia in per-
niciem rei domesticæ cum damnis suis
improbè colluctetur. Hic nemo mihi
objiciat jam à Taciti ævo Germanos hoc
nomine malè audisse, nec hujus mali in-
cunabula propius ad nostram ætatem
admovenda esse. His enim reponere
possum, minoris constitisse priscis illis
crapulam suam, quibus gula nondum
vectigalis fuit, nec pretia macelli produ-
ctiora. Vendebatur adhuc anno 1523.
libra carnis suillæ quinque nummis, ver-
vecinæ quatuor, vervex novem grossis,
lepus duobus, anas fera totidem, atta-
gen totidem, capo pingvis tribus, salmo
recens decem, sexaginta ova tribus, lin-
gua bubula unico grosso cum sex num-
mis. Quæ cum auditis, annon ex aureo
se-

secu
ni?
cud
offi
Lux
hiat
stab
nati
vor
ram
beat
data
qua
olim
& u
patr
anti
edi
gisse
tibi
sem
in n
Itaq
anse
legu
tabi
appa

gusti
mo-
m &
am,
re ea
& ad
atum
s vo-
rit
per-
s suis
mihi
hoc
li in-
em
ere
illis
um
odu-
1523
ver-
offis,
atta-
almo
, lin-
um
ureo
se

seculo aureas fabulas percipere videmi-
ni? Non autem effœtæ sunt hodie pe-
cudes, nascuntur, pariunt oves, tauri
officium faciunt, nec arietes otiantur.
Luxuria autem nostra profundio-
riorem hiatum pandit, & aërem, aquam, caulas,
stabula tanta aviditate depascitur, ut vix
natura rerum sufficiat explendæ huic
voragini. His moribus cum simus, mi-
ramur tamen, quò nobis argentum a-
beat, quæ tabe marsupia deturgeant &
data nequiter opera ignorare malumus,
quantum vectigal sit parsimonia. Hæc
olim & Principum fiscos locupletavit,
& urbium æraria auxit, & privatorum
patrimonia servavit. Memini me in
antiquo quodam Episcopi Wurcensis
edicto ad Curatorem prædii sui ista le-
gisse scripta. Dilecte & fidelis. Notum
tibi facimus, Episcopos Numburgen-
sem & Cizensem super negotio quodam
in nostra villa nobiscum collocuturos.
Itaque operam da, ut præsto sit obesus
anser, pingvis carpio, assa vitulina cum
legumine quodam. Vinum ipsi appor-
tabimus. Deus bone tres Principes eo
apparatu contentos fuisse, ad quem ho-
die

die paulo lautior civis paulo lautio-
rem invitare non auderet! Nec nostra aula
exemplis frugalitatis antiquæ destitui-
tur, quæ jam per totam fere Europam
bibacitatis fama laborat, ut Constantinus
ille Pseudonymus velut excusaturus cri-
men integrum Locum Communem in
laudem ebrietatis suo more confarci-
net. Augustus certè Elector, ut lama-
fert, magni cujusdam hospitis adventum
expectans unicam vini Rhenani am-
phoram sibi Lipsiâ afferri curavit, quæ
res, si quid aliud, cellæ principalis inopi-
am ostendit. Sed forte in nuptiis Ma-
gnatum lautiores epulæ. Audiamus
quibus ferculis anno 1523. Genio con-
nubiali litatum sit, cum Philippus Land-
gravius Hassiæ Georgii Ducis Saxoniae
Filiam Christinam Dresdæ in matrimo-
nium acciperet. In Principum scil. tri-
clinio quatuor missibus sedecim fercula
sunt apposita. Videlicet tetrao, truttæ,
assatura, amygdalatum & tereculum ad
oculorum spectaculum in primo. In
altero aprugna, porcelli, gallinæ feræ,
spectaculum rursus. In tertio lucii, pla-
centæ, artocreas ex caprea, & deniq; ca-
put

put suillum, pira, striblitæ, pisces. Et
sic satis factum voluptati simul & magni-
ficentiæ Principum, qui majore numero
ferè accubuerunt, quam patinæ propo-
sitæ. Iniquè igitur agunt, qui multo-
rum seculorum præscriptione ebrieta-
tem nostram defendere fatagunt. No-
tum enim sub quo Principe malum hoc
apud nos cœperit, & notanter observat
Camerarius in Catechesi Græca p. 187.
Duos è Misnia nobiles Belgicam diu mi-
litiam secutos suo tempore artem biben-
di in Belgis didicisse, atq; reduces hanc
scientiam cognatos docuisse. Hinc tri-
ste exemplum in patriam ante hâc im-
munem ab hoc malo manasse. Istos
bibones autem eo nomine omnibus e-
xosos tandem malo fato periisse. Adeo
autem à majorum nostrorum sobrietate
cum intra seculum descitum sit ad vo-
luptatum turpissimarum lenocinia, tem-
porum infelicitatem, pecuniæ angustias
accusamus, quam per gulam & ventrem,
sit honor auribus! tam nefariè trans-
mittimus, atq; ad parietes excernimus.
Sed audio nescio quem obmurmuran-
tem. Singulorum opes gurges ille
abs

B

abs

absorbet: Intra provinciæ tamen fines o-
pes nostræ manent. Nostris enim pe-
cudibus vescimur, nostro potu abuti-
mur, & quod lurconibus istis perit,
cauponibus accrescit. Fateor. Itaq;
alia longè nocentior charybdis patriam
affligit, censusq; exhaurit in pretia su-
perbiæ. Minimum enim est, quod gu-
la transmarinis deliciis avertit. Vesti-
um verò luxus opes nostras velut infe-
lici quodam æstu in Galliam, Italiam &
quo non eiecit. Peregrini enim sal-
tem panni placent, nostri nobis sordent.
Quo factum, ut urbes pannificii quon-
dam uberrimo quæstu beatæ hodie ad
pudendam paupertatem sint redactæ.
Sed ante quadraginta annos in defun-
ctorum nobilium vestibus etiam pallia
describebantur ex Hainensi panno con-
fecta. Hæc paulò honestioribus ci-
vibus hodie sordidiora videntur, & quan-
tum decrescunt opes, vestimentorum
superbia crescit, quodq; nullis legibus
satis coerceri potest, in singulos annos
mutandorum. Sumptuosius quidem
avi nostri, quorum torques & armillas
in imaginibus miramur, sed & durabi-

li

lius. Potuit enim tunc nepos in avi
thorace sponfi partes cum laude imple-
re. Excusatius etiam ad omne votum
fluente fortuna lasciviebat otium,
quam hodie tam miseris temporibus,
cum vestes nondum detrivit usus & al-
terius formæ festinatus superventus fa-
stidit eas nescio majorene lucro an risu
exterarum gentium. Quot autem ta-
lenta juventutis nostræ peregrinationi-
bus quotannis exportari credimus? Si
plueret apud nos aureus Jupiter, his ta-
men moribus brevi calamitas fundo, a-
ranearum telæ oculis reducerentur.
Miror potius, quod non jamdudum ad
famem prodigarum voluptatum conti-
nuatione ventum est. Sed quid ego
cenfuram exerceo sine suffragio popu-
li? Quid gulæ latrocinea infector, in-
fortunarum nostrarum pericula irrum-
pentia? Id saltem ago, ut nemo mire-
tur, si tot sumptibus exhaustæ divitiæ
parum sufficiant in pietatis & religionis
impensas. Non sectæ, non animis sem-
per tribuendum illud beneficentiæ fri-
gus. Nec comparandi sunt nostri ho-
mines cum antiquis multo opulentio-

ribus, qui cum uberrimam messem felicis abundantiae demeterent, nobis vix jejunum atque tenue spicilegium reliquerunt. Quid autem mirandum si Pontificii sumptuosius Deum colant? Clerus illorum cervices ab oneribus publicis ferè subtrahens magnas opes corradit, nunquam in minutas liberorum hereditates dispergendas. Et sic satisfactum fuisse credo criminationi illi de restrictioribus circa rem sacram nostri seculi studiis.

Sed impinguntur & alia non minus pudenda: Omnia litibus jam fervere, & jurgiis, minus parere juventutem, periisse antiquorum concordiam, colli di cives cum primoribus, omnia suspicionum plena pessimarum, diris imprimis & horrendis execrationibus ad horrorem usque audientium omnia personare. Hos mores proximis quinquaginta annis ita invaluisse, ut nec vestigium veteris innocentiae superfit. Sed, nisi ego oppidò fallor, bellum illud tricennale, quod Germaniam superioribus temporibus afflixit, has nobis reliquias concoquendas dedit, quæ mores nostros

stro
exc
pat
iml
um
ci,
ga
no
eri
mil
pos
Im
ma
to l
acc
tem
dira
cile
viti
arc
serv
tute
rum
tum
ten
fue
aliqu

stros etiam hodie inficiunt, disciplinam
exercent. Hæc labes non opes modo
patriæ abstulit, sed & vitiorum contagio
imbuit ex commercio variarum genti-
um. Hac quippe occasione infusi Sve-
ci, Lappones, Galli, Itali, Hispani, Hun-
gari, Poloni, Croatæ, Angli, Dani, & qui
non? Inde factum, ut ejus temporis pu-
eritia inter quotidianas execrationes
militum, jurgia, furta, obscænitates, im-
posturas, scelera atq; flagitia educaretur.
Imprimuntur facile cereæ huic ætati i-
mages vitiorum, quas postea vix mul-
to labore deleveris. Et ne peregrinos
accusem, intueatur quis nostrorum sal-
tem militum dicta & facta, procaciam,
diras, & unde hæc nobis manaverint fa-
cile intelliget. In exemplum facillime
vitia proficiunt, & servant illi velut in
archetypo nequitiam. Atq; utinam
servarent! Latius illa serpit & juven-
tutem nostram instar gangrenæ cor-
rumpit. Quota quæq; autem urbs
tunc fuit, quæ non aut à suo milite de-
fensa aut à peregrino occupata possessaq;
fuerit diutissime? Deinde cogitet mihi
aliquis templa everfa, Scholas dissipatas,

privatam quoque institutionem impeditam, quæ res solæ malis moribus obviam ire solent. Crevit interim sine manu-ductione posteritas, & cum illa malitia quoque invaluit ita, ut impar jam Respublica sit coercendæ illi atque refrenandæ. His nos jam patribus atque civibus ferme utimur, qui quam illi ex militum contubernio scabiem impietatis sunt adepti, liberis suis domi plerumque affricant. Audiunt teneræ mentes à parentibus maledicta, & fescenninos versus, vident crapulam, diffidia, aleam, chartas & totum nequitiae apparatus. Et Scholæ deinde accusantur, si parum feliciter maculas domi conceptas eluerint. Ex balneo plerique Scholastico ad domestica volutabra ita revertuntur, ut mirandum potius sit, si adhuc aliquas mentes à fordibus his purgatas damus. Hæc velut ex Apollinis tripode prolata esse ipsi illi testantur, qui hodie dolent & queruntur sibi in pueritia institutionem defuisse. Abreptos se à latere parentum militum fuisse plagio, patriam excisam. Hæc omnia tamen ego non ita accipi velim, quasi neminem ex nostro

stro

stro ordine officio deesse credam. Laborat & ille suis morbis, & ex populari lue partem trahit. Istud autem nego atq; per nego morum istam universalem corruptionem nobis imputandam. Quin sanctè potius affirmare aufim, quo minus malis moribus regnum contingat, nos in primis vetare, & si quid uspiam antiqvæ virtutis, si quæ reliqvæ pietatis atq; candoris, has omnes institutioni deberi, & ita deberi, ut neminem alium, præter DEUM in societatem beneficii hujus admittat. Hæc pluribus perorare & officii ratio persuasit, & Scholarum innocentia, & adversariorum iniquitas. Sed jam memor promissæ brevitatis, utq; aurium fastidia effugiam, ad ultimam orationis meæ partem linguam animumq; converto. Gratia scilicet agenda sunt iis imprimis, quorum beneficio Auditorium istud juventutem suam recuperavit, meliori sanè fide, quàm Medæ balneo Æson: Atq; hic demum, ubi velut confragosis atq; asperis evecto tota pandere vela liceret, sentio, quàm fallantur ii, qui dicendo me aliquid posse judicant.

Sed dicendum tamen, licet jejuna verborum inopia deterere potius quid de ipsorum laudibus mihi videar, quam amplificare eas, quæ incrementi legem non capiunt. Interest a. Reipublicæ, interest posteritatis literis consignare, hujuscemodi munificentiae exempla. Nascentur ex cinere laudum vestrarum ò Evergetæ noviolim Phœnices, quæ flammis vestris incitati amore Scholarum incalescent. Dum autem singulos recenseo, date quæso, Auditores, hanc precibus meis veniam, ut, quo singulos conveni, oravi, exoravi ordine, in theatrum reducere liceat. Non enim sine voluptate remetior vias illas pro bono Gymnasii publico susceptas. Quo animo cum sim, primæ omnino partes debentur illi, qui primus squalore hoc acroasibus publicis destinatum conclave non rarò indignatus ultrò decem thaleros reficiendo illi destinavit, promisit, obtulit. Interdictum verò tuum, ne te nomine compellem, nescio quid ex iniquo trahit & publicam vocem strangulat: Gestit animus, prurit lingua, labia tripudiant se effundere velut in
cam-

cam
fren
um
dian
app
den
pulo
nim
ex o
cap
men
tur
& ig
tuu
ber
plo
sti,
se,
me
deli
ing
me
rec
dei
gra
&
hic

campos laudum tuarum, & tu velut
freno injecto cursum moraris, silenti-
um indicis. Laudo quidem verecun-
diam, quæ sua se conscientia involvens
applausum non quærit. Sed nec invi-
dendum erat posteris tam præclarum
pulcherrimæ rei exemplum. Tibi e-
nim acceptum ferimus restitutum hunc
ex omni latere splendorem. Nec satis
capio magnitudinem animi hujus, quod
mens mea minore spatio circumscribi-
tur. Istud verò est furtim benefacere
& ignorante sinistra. Cumq; munus
tuum ingens, de reliquorum tamen li-
beralitate non exiguam partem exem-
plo tuam facis. Me certè ita inflamma-
sti, ut non contentus parietes incrustas-
se, dealbasse, de pavimento, scamnis,
mensis, & reliquo ornatu comparando
deliberarem. Jam ex rubore tuo, qui
ingenuum vultum pererrat, sentio Te
metu prodicionis æstuare. Sed animum
recipe. Malo obsequii, malo bonæ fi-
dei, quàm grati animi gloriam tuis in-
gratis auferre. Adderem blanditias,
& illas interioris amicitiaë notas, nisi
hic quoq; prævaricationis crimen in-

currerem. Supremum autem istud Numen veneror, quod & animum hunc egregium intuetur, & nomen novit, multiplici fœnore cœlitus effuso hanc lacunam nostram, quam in gratiis agendis relinquere cogimur, largissimè expleat!

Hac autem ratione, cum de parietum laquearisq; novo cultu prospectum fuisset, nondum confirmata audacia Tuum, Nobilissime Dn. Jona Schönlebi, animum joco quodam tentare cœpi, cum peregrè apud communem amicum forte pranderemus. Ita enim rationem supputabam: Si assenserit, benè habet: Sin secus, intra jocandi præsidia receptus mihi patebit. Tu verò serio rem agi sub hoc Schemate subolfaciens tam cupidè bene merendi occasionem occupasti, ut videare festinato assensu non pudorem modò meum, sed & alios prævertere voluisse. Digna liberalitas animo Tuo, digna majorum monumentis. Quæ enim templa, qui parietes Schönlebiorum merita apud nos non loquuntur? Habet ex tua gente templum hoc suggestum, miro opere confectum. Ha-

Hab
mor
thed
Aca
tere
vitæ
luit
peri
præ
ven
dem
mus
tiam
in o
inge
juni
pitu
in p
quo
bitu
via
E
jam
me
liff
dig
ma

Habent alia testatam tot beneficiis me-
moriā. Tu non degener sanguis ca-
thedram hanc sumptuosam quæq; vel
Academiarum splendori pudorem incu-
tere possit, in Auditorio etiam nostro a-
vitæ virtutis ornamentum exstare vo-
luisti. Nunquam apud Musas nostras
peribit istius gratia facti. Sive enim
præcepta virtutum atq; Scientiarum ju-
ventuti nostræ instillabimus, sive ean-
dem in examinibus publicis lustrabi-
mus, sive perorantium voces frequen-
tiam aliquam cogent, beneficium tuum
in oculis erit, & insignia gentilitia auro
ingerere non cessabunt. Cum autem je-
junum videatur verborum gratuito stre-
pitu defungi pro tanto merito, DEUM
in partes voco, ut de suo penu impleat,
quod nostro deest. Quicquid toto am-
bitu Felicitas habet, tuum esto, tibi ser-
viat!

Cum verò proxima afferum cura me-
jam sollicitaret, ad quem aut prius, aut
melius accederem, quàm ad Te Nobi-
lissime Dn. Alberti, Consul urbis longè
dignissime, qui nutriciis huic studiorum
matri referendis ita animum semper in-
ten-

tendisti, ut illa de tali, tamq; pio filio sibi
merito gratuletur. Juvat lac doctrinae
immulfisse, juvat quondam parvulum in
sinu fovisse, juvat animum formasse,
tot virtutum simulacra impressisse.
Quæ si plures tales haberet, non hoc
modo auditorium, sed totus undiq; Lu-
dus rejuvenesceret exuta fuligine, de-
positis fordibus. Tantum vectigal est
bonis benè fecisse! Ego quidem ne-
tristis à te recederem, ne spem de refici-
endo Lectorio vix dum conceptam in-
felici abortu mentis abjicerem, effecit
illa alacritas juvandæ rei publicæ Scho-
lasticæ. Vix consilium aperueram, cum
Tu pati non potuisti, ut Tibi pro matre
preces adhiberem. Prolixè operam
omnem promisisti, promissam præsti-
tisti, præstitam auxisti omni genere be-
neficiorum. Facile enim fateor absq;
tua autoritate, consilio, ope, opera si fu-
isset, me imparem rei conficiundæ futu-
rum fuisse. Tu vitam, tu spiritum lar-
gitus es actionibus meis, cum summo
mane adesses, operas urgeres, impera-
res. Maeste, vir Amplissime, hoc animo
Tuo, & rem Scholasticam porro quoq;
com-

com
(qv
in c
per
Per
sed
quã
For
næ
ben
Un
go
hac
rii,
nab
pell
di.
nim
fatis
qui
inco
rita
nec
que
ner
me
No

complectere. Ita uberem ex filiis Tuis
(quos velut nepotes suos ista adoptavit,
in curam) tibi gaudendi materiam sem-
per suppeditet DEUS! Jamq; pulchrè
Peripatus hæc, quoniam ipse mihi placebam;
sed sordebant jam fenestræ & malignius
quam ante diem admittere videbantur.
Formosus ille vultus non est, cujus ge-
næ quidem purpurant, labia venustè ru-
bent, sed oculi lippiunt atq; caligant.
Unde verò illis sua lux fœneranda? E-
go ita mecum ratio cinabar: Hem! tot in
hac urbe vivunt Viri atq; cives prima-
rii, qui quantumcunq; felicitatis suæ incu-
nabula Ludo nostro debent. Hi com-
pellandi, rogandi, precibus expugnan-
di. Statueram enim aut nullo, aut mi-
nimo sumptu ærarii Ecclesiastici aliàs
fatis occupati negotium perficere, alio-
qui non defuturos, qui suo periculo, suo
incommodo me ædificatorem esse qui-
ritarentur. Quo animo cum essem diu,
nec hîc quidem mihi dispiciendum fuit,
quem primum accederem. Noveram
nempe merita Nobilissime, Amplissi-
meq; Dn. Seyfrid hinc in Te profecta:
Noveram virtutem animi etiam cum in
su-

sublimiori jam quam apud nos Præfe-
ctura positus es, non diffidentis benefi-
cia. Itaq; securo animo adii, rogavi,
intercessi pro vetula matre, quæ ætatis
morbo jam cœcutiret, utq; unius oculi
sive fenestræ beneficio nutricia exsol-
veresegenti ferme citra jactum pulve-
ris impetravi. Tu verò, ut meritum
augeres etiam autor fuisti, ut, quando-
quidem novos oculos corrogarem la-
tius etiam illorum orbis effodiendos,
palpebras diducendas curarem. De-
figat in Te, Vir Nobilissime oculos suæ
benevolentiaë ille, cujus vigili obtutu
stant res humanæ. Servet hunc ani-
mum, servet familiam, servet fortunas
ad arbitrium diu florentes!

Ab hoc digredientem affectus me-
fateor, impulit ad Te, o animi mei deli-
cium, o ex veteri metallo residuum
ἀπόσπασμα! Dn. Bornheinrichium no-
mino, cujus candorem norunt, qui
ipsum rectè norunt, prædicant, qui non
invidiaë veneno livent. Vix absolve-
ram autem de vetula matre fabulam,
cùm tu solito vultu suaviter renidens
perspicilia me, nescio cui anui rogare
su-

fusp
jus
Tu
ject
feci
Oba
tria
una
face
min
Et
tun
gun
fato
ver
obv
geb
bon
re C
jus
gra
non
ter
vo
rem
orn
fite

fuspicareris. Ego verò, inquam, ma-
jus beneficium volo, fenestras auditorio.
Tu autem delectatus circuitu meo in-
jecta manu voti me compotem statim
fecisti. Nec stetit hic promptitudo.
Obambulabat ante tabernam suam vi-
triarius, cui tu mox vocato, ut fenestram
unam Scholæ, eamq; quam optimam
faceret, mandasti & in elaborando sta-
mine illarum fratris opera uteretur.
Et Tibi quidem, Affinis dulcissime, for-
tunam, quam aliàs mores Tui tibi fin-
gunt, ille fatorum nostrorum dispen-
sator, sartam fervet, atq; tectam. Ego
verò omnibus lætitiis incedere, quas
obvii etiam ex fronte porrectissima le-
gebant. Inde postero die plenus spei
bonæ ad Te, Amplissime Dn Theodo-
re Gotofrede Lindnere Præfecturæ hu-
jus secunda persona, gladiatorio velut
gradu affectavi viam. Dictum factum,
non pollicitus es modo, sed & liberali-
ter invitasti, ut manerem. Id cum no-
vo beneficio auctus negare non aude-
rem, quàm proluxa comitate me non
ornasti, sed ferme onerasti? Apertè pro-
fitebaris idem me per famulum potuisse
im-

impetrare. Istud verò est spargere & vili æstimare benefacta sua. Cui animo quid ego aliud apprecher præter inexhaustam copiam & uberrimam benè merendi segetem!

Et sic deniq; sequitur, qui vel primo loco compellendus fuerat, nisi verecundia mea ex successibus audaciam exspectasset, Vir Excellentissimus Dn. D. Johannes Lindnerus Potentiss. Electoris Joh. Georgii II. olim Consiliarius dignissimus. Hunc cum aliquoties frustra quæsitum tandem domi offenderem, & esse quæ cum ipso colloquerer, prætarer, ille me quàm humaniter manu prehensum in Musæum deduxit, audivit, promisit, fecit. Ego verò patrocinari verecundiæ meæ, Tu laudare ambitum hunc de publica Scholæ re solliciti. Imò autor fuisti, ut alios etiam accederem, nec dubitarem telam hanc pertexere. Non defuturos qui tot exempla cupidè sequerentur. Frustra autem sim, si quantumcunq; hic verborum apparatus agendis gratiis suffecturum sperem. Itaq; me colligo, & ad solennia illa confugio, DEUS reponat! DEUS re-

refundat! DEUS remetiatur! Jamq;
quatuor fenestras corrogaveram, re-
stabant ad plenam Musæi publici gra-
tiam duæ. Hic mihi iterum Schönlebi-
orum Studia in rempublicam, nostra in
illos occurrere. Itaq; fronte jam non
infirma, nec dubia spe ad Te, Amplissi-
me Dn. Gabriel Schönlebi, Senator in-
clutæ Reip. Gravissime adire decrevi.
Tu verò miratus novum adventorem
audacter eloqui jussisti, si quid vellem.
facturum quæ posses. Hinc ego a-
missa ambage quid rei pararem aperui,
quidq; alios jam exorassem. Itaq; in
Te nulla mora, & tam præceps bene
merendi cupiditas, ut ferme ægrè ter-
res, non Te prius compellatum. Sen-
tiebam certè, me non sine Dei Numi-
ne tantam rem cœpisse. Tanta omni-
um alacritas erat, in assentiendo tanta
festinatio in præstando. Neminem fru-
stra compellavi, à nemine repulsam tu-
li. Unum excipio, qui articulo non
molli advenientem tractavit. Cur ipse
accederem, cur non per literas & inter-
nuncios rem tractassem. Tot exules,
tot incendio perditos esse juvandos. Ab-

C

le-

legato uno jam ad ostium stare alterum.
Quid creditis, Auditores, mihi animi fu-
isse? Magni mercatus essem nunquam
accessisse ad inhospitales aedes, a quibus
recedens gradum minuebam instar gal-
li frigida perfusi. Precum mearum
pœnitentiam agebam & pudor lucis
fugam atq; tœdium dictabat. Impin-
gerem beneficium homini, si dedisset.
Sed hæc extra oleas. Redeundum in
orbitam, quam dum pressius infixò
pede seqvor, Tu, Amplissime Dn. Sigeli,
Senator Gravissime, jam domum rede-
untem ex aedibus Tuis ad Te vocas, ab-
sentiam ejus meridiei excusas (quæ five-
ram n. prædiatua visentem) Quam fe-
lix ego, quem beneficia obviis ulnis ex-
spectant, & jam discedentem revocant!
Nullo hîc verborum ambitu opus fuit.
Statim atq; audivisti honestas preces,
assensus es sine ulla deliberatione, mu-
nus verbis ornasti. Itaq; non publicè
modò, sed & privatim Tibi obstrictus
sum. Atq; utinam res esset mearum
virium Tibi, Dn. Schönlebi, Tiliq; Dn.
Sigeli aliquam gratiam referre! Quod
cum facile intelligam, quam arduum sit,

VO-

votis iterum defungor. DEUS vobis
benefaxit ex amplissimo penu suæ mi-
serationis!

Dimissa autem hac cura novæ co-
gitationi toto pectore incumben-
dum erat. Veteres januæ dedecebant.
Sed & harum una ut mutaretur fecit li-
beralitas Ornatissimi Dn. Balthasaris
Mendii, cui succenturiatam operam
in redimendâ sera ultro obtulit Hono-
ratiss. Dn. Johannes Ludovicus Thre-
nerus. Alteram Vir literis & Expe-
rientia rerum medicarum instructis-
simus Dn. Jacobus Jahn vix rogatus
conficiendam curavit. Pro quibus
meritis, si mea officia, ut sunt leviden-
sia, non suffecerint, sponsorem iterum
fisto DEum, qui multorum annorum
pace, sanitate, felicitate uberius satis
faciet. Et hæc quidem ratione æsti-
va nostra pulchrè erant constituta.
De Musarum autem hybernis, ut sunt
ad sexus sui istar tenellæ & frigoris

impatientes aliud opus subnasceba-
tur. Itaq; cura etiam in brumam ex-
tendenda erat ultimam. Sed & hunc
scrupulum feliciter exemit Vir Am-
plissimus atq; Consultissimus Dn.
Samuel Klenm Reipublicæ huic à
scriniis publicis, qvi rogatu meo for-
nacem hanc suo nobis sumptu rede-
mit. Quoties igitur sæviente foras
Borea privato vere nostræ Musæ te-
pebunt, toties illæ tuo beneficio in-
calescentes gratiam beneficii profite-
buntur, prædicabunt, bonisq; votis
tam bonum animum mactabunt.
Nec ego desinam his album calculum
adjicere & DEum Tibi propitium
quotidie apprecari. Si meministi,
quid in schedula optarim, cum pre-
tium pro figulo rogarem, pro prima
pensione geminas illas sortes, quæ ex
urna tibi nuper exivere æstima. Atq;
hæc quidem historia ambitus mei, hæc
pre-

precum ratio fuit. Hic ego fron-
tem meam recepi, nisi quod obiter
prætereunti etiam alius nostræ Scho-
læ Fautor Symbolum quoddam ad-
jecit, qui nomen suum intra modesti
silentii leges quidem cohiberi vult,
remuneretur tamen publicè clande-
stinum istud beneficium, quod ani-
morum arcana intuetur, Numen!
Atq; ita mihi tot beneficiorum ordo
defluxit. Quid Tu autem, inquit
aliquis; an tintinnabuli saltem vicem
præstitisti, quod civibus signum ad
sacra dat, quibus ipsum non interfit.
Huic ego quidem possem allegare tot
labores, tot molestias, quæ me ex-
ercuerunt, cum acerrimus essem ope-
rum exactor, cum pulvore tantum non
operirer, (vix enim recesseram & illi
manus jam remittebant, aut plane
quacunq; ex causa discedebant) cum
Judicis etiam auxilium sæpè implo-

randum esset, qui cessantes imperio
suo propelleret. Namq; & operam
hanc in æstimationem venire faten-
tur Legum periti. Preces etiam &
tot discursationes ostiatim institutas
adducere possem. Nihil enim cari-
ùs emitur, quàm quod precibus emi-
tur. Sed nolo tam sordidè cum ob-
locutoribus meis decidere. Quin
bone fide asseverare possum, me du-
obus exceptis non minus de meo
contulisse, quam reliquorum quis-
quam. Id saltem interest, quod cum
aliorum beneficia existent & digito de-
monstrari possint, mea in clavis fer-
reis, in fabrorum mercede velut quo-
dam pulvere sint sepulta atq; per va-
rias dispersæ partes. Eat nunc, ite-
rum atq; iterum dico aliquis, frontem
perfricet, mundi feces acculet & ino-
piæ mala ad animorum crimen rele-
get. Patrocinabitur seculo Freiberga,
&

&
lar
an
de
ven
op
no
Qu
opt
stop
ali
nes
esse
exer
Sche
gere
simu
Seyf
men
blich
deò
bene

& exemplo suo commonstrabit, nul-
lam ex senectute hujus universi labem
animis adnasci. Neve quis impu-
dentiã precum mearum & negandi
verecundiã aliquid datum in hoc
opere cavillari possit, multi etiam
non rogati sumptus suos obtulere.
Quo numero merito celebrandus Vir
optimus & laudatissimus Dn. Chri-
stophorus Threnerus, qui misso unci-
ali nummo argenteo per meos homi-
nes sciscitatus est, an aliquid relictum
esset, in quo ille beneficentiam suam
exerceret. Cumq; jam suggestus hic
Scholasticus nudius quintus compin-
geretur, Amplissimus quoq; & Claris-
simus urbis Senator Dn. Joh. Fridricus
Seyfridus mihi nihil tale cogitanti
mensam hanc emendationibus pu-
blicis destinatam obtulit. Usq; a-
deò egregii animi certatim occupant
beneficiorum occasiones, ansamq;
C 4 glo.

gloriæ, ut mihi verendum sit, ne expo-
stulent alii mecum, & se præteritos
esse injuriam suam interpretentur.
Enimverò, quemadmodum novis
benefactoribus novas quoq; gratias
ago, & totam prosperitatem in vicem
apprecor; Ita alteros illos benè spera-
re jubeo. Non enim inferiora ma-
dò acroateria cultum expectant; Sed
& huic ipsi ultimus perfectionis gra-
dus deest. Laquear dico istud, quod
calorem nobis fovendis destinatum
fide non usq; adeò bona custodit;
sed passim dehiscens transmittit. I-
stud autem ejusmodi, ut in eam rem
sumptus à privato & uno sperare im-
probum, rogare impudens sit. No-
bis certè pro facultatibus, ut in pro-
verbio dicitur, jam ædificata sunt mæ-
nia. Cætera DEO curæ erunt. No-
stræ verò civitatis, ut ex diverticulo
redeam, non pridiana utiq; liberalitas
est,

est, sed jam olim penitus immissis ra-
dicibus nititur. Novi enim, si quis
alius, quid singulis septimanis, quid
quibusvis mensibus in usum convi-
torii colligatur continuata jam, nec
fatigata per multos annos pietate.
Novi quantum quotannis fisco cho-
ri & currendanorum inferatur. Se-
quitur scilicet Nobilissimi Magistra-
tus sui civium beneficentia. DEUS
bone quantas ille summas mittit ad
incendio perditas urbes! Quan-
tum exulibus, & aliis, quos quacunq;
ex calamitate angustiae rerum circum-
stantes quotidiana stipe infelicem a-
nimam prorogare cogunt, erogatur!
Ego quidem, qui cum hoc hominum
genere libenter versor, multoties au-
divi summopere deprædicantes mu-
nificam senatus pietatem. In vidua-
as autem & orphanos, & nosocomia
quantum impenditur? Quàm lautè
tra.

tractantur emeriti! quàm liberalia
stipendia! Quem quasi portum beni-
gnitatis contra varios mortalium ca-
lus aperiunt? Quo fit ut minus mi-
rer discipulos etiam hunc liberalita-
tis spiritum ex communi patria hau-
fisse, quorum alter tabulam hanc, al-
ter clepsydram suo nobis ære compa-
ravit. Ita me Christus amet, non
vivere modò, sed & mori in hac ur-
be tam pia, tam benefica juvat. Ti-
bi ò incluta Freiberga vel me ipsum
impendere paratus, studia, labores, o-
peras, dum in officio mens erit, Tibi
viduam, liberos, ossa deniq; & cine-
res, si quid humanitùs mihi acciderit,
commendo. Tu verò, ò rerum hu-
manarum summe Arbiter, qui hau-
stum etiam frigida te remuneratu-
rum pollicitus es, intuere quæso o-
ptimæ urbis tot eleemosymas, & si
quid in cæteris peccatur, quæ est ho-
mi-

imum imbecillitas, clementer ignos-
ce! Serva nobis hanc mentem! Tu-
ere Nobilissimum Senatum, Indue
verbi Ministros divino robore, orna
Scholam, amplectere cives, benedic
omnibus, fove singulos. Crescant
reditus ex metallis, ut non desit, quod
Tibi reddamus, floreant moenia!
Pax, sanitas, quies, concordia & ipsa
deniq; Salus urbem totam imple-
at, augeat, coronet felicis-
sime!

Tibi

Tibi autem Illustris ac
Generosissime Domine, mat
Exarche, rerumq; metalitate
licarum Præfekte supreme, me
ingenti ære alieno fumus coel
obstricti, quod auditorium cap
hoc præsentia Tua illustri tam
us reddere voluisti. Quod si pul
gratiis agendis dispungere com
possumus, ingens se offerz relic
votorum compendium. dat.
Singulis quippe diebus ex auto
hac ipsa cathedra preces bilit
pro salute Tua concipi- roff
mus publicas. Quoties itaq; berg
ma-gen

matutinas operas hac pie-
tate auspicamur, toties cle-
mentissimum. Numen,
coeli cataractas aperiat, &
caput hocce Tuum non,
tam annis, quam meritis &
pulcherrimarum virtutum
conjugio venerabile aureo
felicitatis nimbo perfun-
dat, delibutum reddat! Ut
autem illustris generis no-
bilitate jungimini, Gene-
rosissimi Domini de Schön-
berg & Taube, sic gratiis a-
gendis non separandi estis,
qui

qui velut Castorum fidus
facem peroranti allucere
voluistis. Recipiat & vos
in gremium clementiæ suæ
ille rerum conditor atq; au-
tor, vestrosq; dies candi-
dos, & sine nube ire jubeat.
Et ne per singulorum no-
mina cum tædio prolixè e-
undum sit, fatius fuerit in
unam fascem tot ingentia
merita colligere tot sum-
morum Virorum, quos ho-
nori meo adfuisse video,
quibus verbis satis faciam.

ivp

non

non video. Exundent au-
tem in vos, ut Nilus au-
tumno, divitiæ illæ cœle-
stis benedictionis inexhau-
stæ & imprimis inde re no-
stra Scholastica tam præ-
clarè meritos toto alveo
exuberent atq; resta-
gnent!



16 007 01

m.c. 107



h. 101, 14. (X2)

AN 8
HODIE Q
MORIBUS CO
VIVA

ORA

M. JUSTI
RABENE
REC

IN DEDI
RENOVATI
HA

ANNO M DC LXX

FREI
Sumptibus ZACH

